martuorum ibidem Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ, nisi nominatim fuerint excommunicati, vel interdicti, seu publicè usurarii; ipsosque Fratres Procuratores, vel Nuntios expectantes expectatione pacifica infra Missarum solemnia donec, & quousque præsens Mandatum Apostolicum in locis, ubi verbum Divinum est prædicari consuetum, fuerit substantialiter declaratum; quia isti non sunt quæstores, sed Religiosi sacrum habitum portantes; quare ipsos præ cæteris omnibus volumus anteferri.

Prædicti Fratres adjuvantibus plura privilegia concedit.

§. 4. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, singulis diebus pro qualibet eleemosyna, unum annum, & 40. dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus; adhuc etiam in dedicatione, & statione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & in peregrinatione Terræ Sanctæ, omnes benefactores hujus pii operis facimus participes, & consortes in æternum. Sacerdotibus verò, & Clericis, tam Religiosis, quàm sæcularibus, qui hujusmodi negotium expedierint cum affectu, manusque charitatis ad exemplum aliorum porrexerint adjutrices, quidquid de divinis officiis, & horis canonicis dicere omiserint, per gratiam sancti Spiritus, misericorditer in domino indulgemus.

Quod possint ab omnibus votis absolvi, excepti, &c.

§. 5. Remittimusque omnia vota, dispensando tamen cum dictis Fratribus, aut eorum Nuntiis pro Redemptione captivorum (inspecta tamen qualitate voti, & possibilitate personæ) ut à dictis votis totaliter absolvantur, exceptis votis Castitatis, Religionis, & Hierosolymitano.

A rebus malè acquisitis, quòd, &c.

§. 6. Et etiam peccata venialia & oblita, offensas patrum, & matrum, manuum injectiones violentas, juramenta falsa sine damno alterius, pœnitentias pro impossibilitate non factas, usuras, rapinas, & omnia malè acquisita, nisi sciant, cujus sint, si mittantur huic sancto operi, sint à nobis absoluti.

A festis Sanctorum malè celebratis.

§. 7. Præterea remittimus omnia Festa Sanctorum malè celebrata; & ad humilem supplicationem dictorum Magistri, & Fratrum Redemptionis attendentes, prout percipimus; quod cum dicti fideles Christiani incarcerati diebus Dominicis, & festivis quiescere deberent, dicti maledicti Sarraceni dictos captivos arare, fodere, & laborare faciunt plusquam aliis diebus; & hoc pro despectu, & vituperio nominis, & passionis Domini nostri Jesu Christi, omnem offensam dictum Dominicarum, & festivitatum annualium misericorditer in Domino relaxamus.

Quod possint sibi eligere confessarium idoneum.

§. 8. Insuper volumus, & de gratia speciali concedimus pro animarum remedio salutari quod si quis fidelis Catholicus aurum, vel argentum, aut aliquod charitatis subsidium donaverit, vel secundùm qualitatem suam transmiserit, quod dictus benefactor possit sibi eligere confessorem idoneum, qui auctoritate nostra Apostolica ipsum absolvat, & de commissis sibi injungat pœnitentiam salutarem exceptis casibus, pro quibus Sedes Apostolica meritò esset consulenda; & si dictus benefactor infrà annum moriatur, dum tamen sit in statu gratiæ infra dictum terminum, seu in morte verè pœnitens, & confessus, & corde contritus ab omnibus peccatis suis, auctoritate nostra Apostolica, permaneat plenariè absolutus.

Prohibet Pontifex ne quis d. Fratribus injurias præsumat.

§. 9. Inhibemus insuper sub pœna canonica, ne quis dictis fratribus, vel eorum Nuntiis præsens mandatum nostrum Apostolicum secum portantibus in aliquo injuriari præsumant. Villas autem, Castra, seu Ecclesias, in quibus fractio, seu injuriatio facta fuerit, aut mandatum nostrum Apostolicum fuerit impeditum, seu etiam perturbatum quoquo modo, aut eorum bona detenta, præter eorum voluntatem, Ecclesiastico supponimus interdicto. Et illis, qui laboraverint pro commodo, & utilitate hujus pii operis, sit cum eis pax, & benedictio Domini nostri Jesu Christi; & propter hoc recipiant in hoc mundo corporibus augmentum, & animabus vitam æternam. Et in omnibus sacrificiis, & Missis, quæ Deo propitio, fient, & celebrabuntur in toto Pontificatu Romanæ, & in membris ejus omnes benefactores hujusmodi sanctæ Redemptionis volumus fieri participes, & consortes in æternum.

Datum Perusiæ quinto Nonas Maii, Pontificatus nostri anno quarto. *Dat. 3. die 3. Maii.*

CONST. IV.

URBANI IV.

Concedit Pontifex, quod Religiosi professi Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in bonis temporalibus succedere possint, non minus quam si in sæculo permansissent.

URBANUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Sancta Maria de Mercede sub Regula Sancti Augustini, salutem & Apostolicam benedictionem. *Edita An. 18.*

Causa intentionis. §. 1. CUm ex parte vestra propositum nobis fuerit, quod nonnulli Judices Laici dicentes, vos mundo renuntiasse, à successionibus temporalium excludere nitebantur, super quo, ne contingat domos vestras aliquod incurrere nocumentum, humiliter supplicastis, ut congruum remedium diligentiæ paternæ adhibere curaremus.

Concedit Pontifex ut dictum in tuto. §. 2. Nos itaque devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate præsentium vobis indulgemus, ut possessiones, & alia bona tam mobilia, quam immobilia, in quibus personæ Fratrum, ad Monasteria vestra è sæculo fugientium, & professionem facientium, si in sæculo permanerent, successissent, licitè possitis petere, ac retinere, vel vendere; pretiumque in vestram utilitatem convertere; prout melius vobis videbitur expedire.

Sanctio malis. §. 3. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo. *Dat. P. An. 10. Kal. Ap.*

CONST. V.

URBANI V.

Concedit Pontifex Religiosis Sacerdotibus Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad Infideles declinantibus facultatem audiendi confessiones omnium fidelium inter eos degentium.

URBANUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Captivorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. *Edita An.*

Exordium. VOtis vestris, illis præsertim, quæ salutem animarum respiciunt, libenter annuimus, & favorem benevolum impartimur.

Causa hujus const. §. 1. Cum itaque nuper accepta pro parte vestra petitio continebat, sæpè contingere aliquos ex fratribus vestris ad partes ultramarinas, & cæteras, quæ per Saracenos, & alios Infideles detinentur, pro redimendis fidelibus Christianis ibidem captivis declinare.

Religiosis Sacerdotib. Ordinis B. M. de Mercede concedit Pontifex facultatem audiendi. §. 2. Nos ad ea, quæ ad fidelium ipsorum spiritualem consolationem, & profectum animarum cedere valeant, desiderabiliter intendentes; vestris in hac parte supplicationibus inclinati, singulis vestrum, qui videlicet in presbyteratus ordinem fuerint constituti, quandiu pro præmissis ibi moram traxerint, audiendi, quoties